UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 85. Caroli de Turnon Legati Apostolici decretum contra Ritus Sinenses.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67633

Visual Library

quam Pontificis Bullam, qua anathemate percullſus, omni dignitate exutus declarabatur, valvis Gedanenſium Eccleſiarum publice affixam intellexerat: Annum attigerat ætatis ſexageſimum, Purpuræ vero decimum nonum. Sæc. XVII. A. C. 1705.

## §. LXXXV.

### *Caroli de Tournon Legati Apoſtolici decretum contra Ritus Sinenſes.*

Inſignem prorſus locum in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſibi vendicant ſummo ardore agitata diſſidia circa Ritus Sinenſes, indeque exorta Caroli Thomæ de Tournon Commiſſarii Apoſtolici fata, calamitates, & glorioſa, ac matyrii æmula mors: Hujus facti veritas certius erui nequit, niſi ex teſtimoniis illorum, qui non modo coævi, ſed & oculares, præſentesque teſtes erant: nec horum tamen auctoritas hucusque tantas obtinuit vires, tantamque inſpiravit reverentiam, ut alterutra contendentium pars hujus facti veritatem omnino deciſam, certam, ac minime dubiam communi judicio crederent; cum enim iidem teſtes ſimul eſſent partes & teſtes, tam horum rituum Aſſertores, quam illorum hoſtes mutuo ſeſe de partium ſtudio incuſant: inde vero hujus Hiſtoriæ relatio adeo intricata & diffi-

*Apolog. des Jeſ. ſur la conduit. dans les Aff. de la Chine Bahr noviſſ. Sin. not. Diffeſa del decr. di Tourn. dal P. Lucino Expoſ. facti de Sin. controv. Relat. de la nouv. Perſ. de la Chine.*

Sæc. XVII. A. C. 1705.

difficilis redditur, ut, quos viæ duces hoc in itinere ſequi tutum ſit, vix non ignoretur: ne autem tam celebrem Hiſtoriam omnino intactam relinquerem, &, ſalva tamen veritate Hiſtorica, neutram contendentium partem offenderem, neutrique ex privato ſtudio favere viderer, Authores ſelegi, quos fidei integritas, veritatis amor, & dignitatis auctoritas præ ceteris commendat: Haud ignoro, multa a nonnullis hujus argumenti Scriptoribus ex privata aversione, aut immodico ſuæ partis ſtudio veritati & charitati minus conſona fuiſſe typis edita; quocirca Clemens XI. Papa ſuo decreto, cui me inviolabili obſervantia inhæſurum profiteor, de hiſce ritibus & controverſiis tractari inhibuit, ne magis diuturna contentio inter Partes exaſperatas non ſine fidelium ſcandalo invaleſcat: minus æquos tamen judico cenſores illos, qui cunctos, quia vel eorum defectus referunt, vel ad eorum apologias reſponderunt, aut facta etſi veriſſima, eorum tamen nomini minus honorifica ingenue exponunt, pro calumniatoribus, factioſis, de partium ſtudio ſuſpectis habent, idque duntaxat verum eſſe credunt, quod in eorum favorem, honoremque refertur, proin Navarettam, Ciceum, Briſacie-

rum,

rum, A. Leoniſſam, aliosque, quamdiu eorum ſententiæ favent, tanquam veritatis oracula adorant, quamprimum vero poſt Romanam deciſionem eis adverſantur, mendacii, calumniæ, privatique odii reos, lividæque criminationis Authores proclamant: Non equidem adduci poſſum, ut credam, omnia, quæ nonnulli de rituum horum Patronis publicis monimentis conſignata reliquere, vera eſſe, ſed adducar tamen, ut mecum tacitus ſuſpicer, nec omnia de eorum factis vere, nec omnia falſo referri: Quis enim falſi arguere præſumat ipſum Turnonium, Præſulem vitæ ſanctitate, & moderatione celeberrimum, teſtem omni exceptione majorem? quis Ludovicum Mariam Lucini S. Palatii Magiſtrum poſtea Cardinalem, qui Turnoniani Decreti vindicias Romæ editas ipſi Benedicto XIII. Papæ exhibuit, nuncupavit, earumque approbationem retulit? quis tot alios Scriptores coævos, rerum gnaros, ac tum præſentes probatæ fidei teſtimonio, dignitatis eminentia, eruditionis præſtantia inclytos, & in ſua relatione omnino concordes? Horum fidei inſiſtens, vadum tento, nec eorum cenſuram moror, quibus nemo ad ſaporem coxerit, niſi privatæ eorum orexi ſatisfecerit; haud enim

Sæc. XVII. A. C. 1705.

Sæc. XVII. A. C. 1705.

enim me latet, ea eſſe quorumdam ingenia, ut niſi calamus in eorum laudes & favores latius excurrat, Therſites agant, qui etiam Achilli, ejusque integritati convitiantur. His prævie ad prævertendas nimium delicati Momi calumnias animadverſis, operam meam quemvis æquum veritatis cultorem æqui bonique conſulturum ſperans, relationi manum appono.

Poſtquam igitur Carolus Thomas Maillard de Tournon Patriarcha Antiochenus, atque in Sinarum Imperio Commiſſarius & Viſitator Generalis, & Legatus a Latere Anno hujus ſæculi tertio die quarta Novembris unacum multis Miſſionariis Coromandelam venit, facta exſcenſione Pondicherii aliquamdiu ſubſtitit, ubi de ſtatu Miſſionum Indicarum ab ipſis Jeſuitis edoctus, varia iniit conſilia, ut ſuperſtitiones fidei puritati & Evangelii propagationi tantopere adverſas ex Neophytorum cordibus eradicaret: Hanc in rem anni prioris die vigeſima tertia Junii ſequens edidit decretum:

„Inter graviores, quibus premimur,
„curas pro Apoſtolici Viſitatoris mu-
„nere, Nobis licet tanto oneri impari-
„bus injuncto, ea ſane eſt præcipue,
„quum Nos huc miſſos eſſe conſidera-
„mus, ad expurgandum Dominicum

„agrum

„agrum a *Zizaniis* novella Chriſti ger- Sæc. XVII.
„mina ſuffocantibus, & de aliorum A. C. 1705.
„peccatis rationem eſſe reddituros, qui
„æternam Dei ultionem pro noſtris
„nunquam ſatis expiandis jure formi-
„damus. Quamobrem ſtatim, ac ad
„has Indiarum oras appulimus, men-
„tis noſtræ oculos per vaſtiſſimas iſtas
„Orientales regiones circumferentes,
„quum corpus pertinaci morbo jaceret
„detentum, Miſſionum neceſſitates un-
„dique inquirere curavimus, ut eisdem
„pro viribus de opportuno remedio
„proſpiceremus. Et quidem merito
„inter primas noſtræ ſollicitudini oc-
„currerunt novæ Domini Vineæ in Re-
„gnis Madurenſi, & Mayſſur, recen-
„tiusque Carnatenſi, iisdem fere legi-
„bus, parique labore ab Evangelicis
„Societatis Jeſu operariis, Luſitanis,
„& Gallis plantatæ, ubi inter Ethnico-
„rum atque Gentilium perſecutiones,
„ac inter tot vitæ aſperitates, viventes
„germinant Evangelii palmites aſſiduis
„Miſſionariorum ſudoribus irrigati. Il-
„luc ſane fuiſſemus, non minus labo-
„ris, quam gaudii in Chriſto Jeſu par-
„ticipes eſſe vehementer cupientes, niſi
„hoc Nobis diuturna infirmitas prohi-
„buiſſet. Quod autem per Nos ipſos
„immediate obtinere non licuit, exhi-
„bitum erga Nos & Sanctam Sedem
„Apo-

Sæc. XVII. A. C. 1705.

„Apoſtolicam obſequium a Patribus
„Venantio Bouchet Carnatenſis Miſ-
„ſionis Superiore, & Carolo Michaele
„Bartoldo Madurrenſe Miſſionario, viris
„Doctrina, & propagandæ fidei Zelo
„præſtantibus opportune ſuppeditavit.
„Etenim vero, quum ab illis in mori-
„bus, lingua, & religione iſtarum re-
„gionum ex longa in his vitæ conſue-
„tudine apprime verſatis plura certius
„cognoverimus, quæ eosdem palmites
„enerves reddant, & fructu vacuos,
„utpote, qui gentilium vanitatibus ma-
„gis inhæreant, quam viti, quæ eſt
„Chriſtus, in multo experimento tri-
„bulationis abundantia gaudii noſtri
„fuit. Rebus itaque maturo examini
„ſuppoſitis, dictisque Patribus orete-
„nus, ac in ſcriptis fuſe auditis, atque
„Dei ope publicis precibus implorata,
„ut fidei puritati, ſpiritualique Chri-
„ſtianorum proventui ſalubriter in Do-
„mino conſulamus; utque fiat oblatio
„gentilium accepta, & ſanctificata in
„Spiritu ſancto, ad præſens Decretum
„Auctoritate Apoſtolica, etiam cum
„facultate Legati a latere devenimus.
„Et a Sacramentorum adminiſtratione
„exordium ſumentes, diſtricte prohi-
„bemus, ne in baptizandis tam pueris,
„quam adultis, cujuscunque ſexus &
„conditionis, omittantur Sacramentalia,

ſed

Sæc. XVII. A. C. 1705.

„ſed omnia palam adhibeantur, & ſig-
„nanter ſaliva, ſal, & inſufflatio (*)
„quæ ex Apoſtolica traditione Catho-
„lica Eccleſia recepit, ac ob recondita
„in his ſacris cæremoniis Divinæ erga
„nos Bonitatis Myſteria ſancte, & in-
„violabiliter cuſtodivit; Decreto ſanctæ
„univerſalis Romanæ Inquiſitionis de
„Anno 1656. pro Sinis facto ob diver-
„ſas rationes, & circumſtantias, mini-
„me obſtante.„

„Item præcipimus, ut juxta lau-
„dabilem Eccleſiæ conſuetudinem ſem-
„per imponatur baptizando a bapti-
„zante

(*) Fatentur P. Lainez, & P. Brandolinus, quod in Baptismo ſemper omiſerint uſum Salivæ, & inſufflatio ideo non fuerit adhibita, *eoquod apud hoſce Gentiles os hominis res ſit immundiſſima, a quo quicquid prodit, ſive ſaliva ſit, ſive anhelitus, apud ipſos ſpurcum id reputetur* pag. 290. Verum poſtquam Calvinus dixerat, uſum ſalivæ *eſſe cæremoniam inanem, ridiculam, imo fœdam*, Tridentina Synodus anathema dixit, ſiquis hoſce *ritus aut contemni, aut in novos alios per quemcunque Eccleſiaſticum Paſtorem mutari poſſe dixerit*, & S. Auguſtinus Ep. 118. c. 5. ait: *Si quid tota per Orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæc. XVII. A. C. 1705.

„zante nomen alicujus Sancti in Mar„tyrologio Romano deſcripti, omni„interdictis nominibus Idolorum, ve„falſæ Religionis pœnitentium, quibus „gentiles utuntur, & Neophyti hacte„nus appellari conſueverunt, ante„quam eſſent per baptiſmum Divinæ „Gratiæ renati. „

„Nec Parochis, ſeu Miſſionariis fi„quovis prætextu liceat Crucis, Sa„ctorum, & rerum Sacrarum nomina „per translata immutare, nec ea ali„idiomate explicare, niſi latino, vel „ſaltem Indico, quatenus voces Indicæ „Regionis, latinæ ſignificationi liqui„do, & ad amuſſim reſpondeant. „

„Et quia audivimus Baptiſmum „Infantium ex Chriſtianis Parentibus „ortorum, eorumdem incuria ſæpe „ſæpius diu protrahi (*), non fine „maximo dictorum Infantium Salutis „diſcrimine, monemus Evangelicos ope„rarios, ut Sacrorum Canonum memo„res, terminum breviorem, quam fie„poſſit, attentis circumſtantiis, gen„toribus præfigant, graviter conſcien„tiam

(*) Id fatetur P. Lainez, dicens pag. 334: *Evenit interdum, ut plusquam optandum fore, infantium Baptiſmus differatur, nec negamus, quin aliquando forte interveniat aliqua Paren-tum negligentia.*

„tiam eorum onerantes, niſi filios intra fixum tempus ad Eccleſiam deferant ſacro fonte abluendos.„ Sæc. XVII. A. C. 1705.

„Præterea cum moris hujus Regionis ſit, ut Infantes ſex, vel ſeptem annorum, interdum etiam in teneriore ætate ex genitorum Conſenſu, Matrimonium indiſſolubile de præſenti contrahant per impoſitionem Tallii, ſeu aureæ teſſeræ nuptialis uxoris collo penſilis: Miſſionariis mandamus, ne hujusmodi irrita Matrimonia inter Chriſtianos fieri permittant; nec ſponſos ſic conjunctos cohabitare ſinant, donec completa legitima ætate, & explorato eorum conſenſu, in faciem Eccleſiæ juxta formam a Sac. Concilio Tridentino præſcriptam, verum, & Canonicum Matrimonium contraxerint.„

„Et quoniam apud peritiores impiæ illius Religionis Sectatores Tallii præſefert imaginem, licet informem Pulleyaris, ſive Pillayaris Idoli nuptialibus Cæremoniis præpoſiti: quumque dedeceat Chriſtianas Mulieres talem effigiem collo deferre in ſignum Matrimonii; diſtricte prohibemus, ne impoſterum audeant Tallii cum hac effigie collo appendere; & ne uxores innuptæ videantur, poterunt uti alio Tallii, vel Sanctiſſimæ Crucis, vel

Sæc. XVII.
A. C. 1705

„Domini Noſtri Jeſu Chriſti, vel Bea-
„tiſſimæ Virginis, vel alia quavis re-
„ligioſa imagine ornato.„

„Et quum ſuperſtitione non care-
„funiculus centum & octo filis compo-
„ſitus, & croceo ſucco delinitus, qu-
„plerique dictum Tallii appendunt, pro-
„hibemus etiam dictum filorum numa-
„rum, & unctionem. Cæremoniæ e-
„tiam nuptiales juxta harum Regionum
„morem tot ſunt, tantaque ſuperſtitio-
„ne maculatæ, ut tutius remedium
„optari non poſſet, quam eas omnin-
„interdicendo; quum undique noxi-
„gentilitatis labe ſcateant, & difficilli-
„mum ſit, eas a ſuperſtitioſis expur-
„gare. At vero, ut faciliori conver-
„ſionum viæ, & Neophytorum com-
„modo, quantum fieri poteſt, in Do-
„mino indulgeamus, Miſſionariis, &
„præcipue Miſſionum Superioribus in-
„jungimus, ut novis adhibitis diligen-
„tiis, ſeveriorique calculo, ſuperſtitio-
„omnia a dictis cæremoniis expurgent,
„ita, ut nihil inultum relinquatur, quod
„Chriſtianam pietatem offendat, &
„gentilium ſuperſtitionem redoleat. E-
„ſignanter, præter eas, quas audivi-
„mus jam ſtatutas in hac materia a
„iisdem Miſſionariis reformationes, ra-
„mus Arboris Areſciomaram omnino
„auferatur, ferculorum numerus non

„ma-

Sæc. XVII. A. C. 1705.

„minus, ac cibi præſcripta qualitas „varietur, circuli ſupra Caput Sponſo- „rum ad tollenda maleficia omittantur. „Et quod de ferculis diximus, de lu- „teis vaſis ibidem adhiberi ſolitis a No- „bis dictum, & prohibitum intelli- „gatur.„

„Fructus etiam vulgo dictus *Cocco*, „ex cujus fractione proſperitatis, vel „infortunii auſpicia gentiles temere du- „cunt, vel omnino a Chriſtianorum „nuptiis rejiciatur, vel ſaltem, ſi illum „concedere velint, non publice, ſed „ſecreto, & extra ſolemnitatem ape- „riatur, ab iis, qui Evangelica luce „edocti, ab hujusmodi auſpiciorum de- „liramento ſunt alieni.„

„Nullus rite, & ſufficienter diſpoſi- „tus arceatur a ſacramento Pœniten- „tiæ ad peccatorum remiſſionem tan- „quam inſtrumento Divinæ Miſericor- „diæ a Chriſto Domino inſtituto, & „ſignanter Mulieres menſtruali morbo „laborantes, non attentis diebus purifi- „cationis, juxta morem gentilium, „quum hæc ſacramentalis vera animæ „Purificatio, & non alia ſit attendenda „a Chriſti fidelibus, eorumque Paſto- „ribus; quibus præterea non liceat per „ſeipſos, nec per Catechiſtas, nec per „alios quoscunque dictis Mulieribus „prohibere acceſſum ad Eccleſiam, vel

Sæc. XVII. A. C. 1[illegible]5

„ad confeſſarium durante dicta infi-
„mitate, & dicto purificationis tem-
„pore. „

„Dedecet etiam Chriſtianæ Vir-
„ginis honeſtatem prima vice dicto
„morbo laborantis, illum cognatis,
„vicinis, & amicis notum facere, &
„inverecunde publicare, iisque Ethni-
„corum more, & ritu in ejus domum
„collectis ſuper re tam ſordida feſtum
„inſtituere: Quocirca hujusmodi cele-
„britates, & Ritus orthodoxis puellis
„penitus interdicimus, & abolemus,
„Miſſionariisque injungimus, ut non
„ſolum eas, verum etiam genitores
„moneant, quam diſſona ſit virginei
„pudoris legibus hujusmodi obſcœna,
„conſuetudo, quæ a gentilium impu-
„dentia videtur inducta, ut ita labe-
„factata puellarum verecundia, eas ef-
„frenate ad libidinem provocare va-
„leant. „

„Ferre pariter non poſſumus, quod
„a Medicis ſpiritualibus pro animarum
„Salute ea charitatis officia denegen-
„tur, quæ Medici gentiles, nobilis e-
„tiam generis, ſeu Caſtæ pro Corporis
„ſalute præſtare non dedignantur in-
„firmis, licet abjectæ, & infimæ Con-
„ditionis vulgo dictis Parreas; qua-
„propter diſtricte mandamus Miſſiona-
„riis, ut, quantum in ipſis erit, ne-
„mini

Sæc. XVII.
A. C. 1705.

„mini e Chriſtianis ægrotis, quantumvis Parreas, & vilioris, ſi adeſſent, „generis, hominibus deſideranda re„linquatur in infirmitate copia Confeſ„ſarii. Et ne ingraveſcentibus morbis, „cum graviſſimo vitæ temporalis pe„riculo, æternæ conſulere cogantur, „iisdem Miſſionariis præcipimus, ne „infirmos hujusmodi Conditionis ad „Eccleſiam deferendos expectent, ſed „conſultius domos, ubi ægrotant, pro „viribus petant, ad eos inviſendos, ac „piis ſermonibus, & precibus, ſacra„mentorumque pabulo recreandos; at„que demum in extremo vitæ diſcri„mine conſtitutos, ſancto infirmorum „Oleo deliniant (*), absque perſona„rum, aut ſexus acceptione, expreſſe „damnantes quamcumque praxim huic „Chriſtianæ pietatis officio contrariam.„

„Non ſine maximo animi noſtri mæ„rore accepimus, etiam Chriſtianos „tympanorum pulſatores, tibicines, „aut alterius cujuscunque Muſici in„ſtrumenti Sonatores ad Idolorum fe-

U 4 „ſtivi-

(*) Fatetur P. Nobili in epiſtola ad ſuum Generalem Anno 1610. quod ab eo tempore, quo Indias ingreſſus eſt, ab ipſo etiam Parærum, ſeu pauperum *contactu* abſtinuerit, *Chriſti & animarum ſalutis gratia*, eoquod *ad civilem ſolum cultum pertinere certo ſciret.*

Sæc. XVII. A. C. 1705

„ſtivitates, & ſacrificia accerſiri ad lu-
„dendum, & interdum etiam cogi ob
„quamdam ſervitutis ſpeciem erga pu-
„blicum ab ipſis contractæ per hujus-
„modi artis exercitium, nec facile eſſe
„Miſſionariis, eos ab hoc deteſtabili ab-
„uſu avertere. Quocirca conſiderantes
„quam gravem rationem eſſemus Deo
„reddituri, ſi hujusmodi Chriſti fideles
„a dæmonum honore, & cultu pro vi-
„ribus non revocaremus, illis prohibe-
„mus, ne impoſterum audeant, nec in
„Pagodis, nec extra, tum occaſione
„ſacrificiorum, tum quarumcunque ſo-
„lemnitatum ſuperſtitioſo cultu imbu-
„tarum ſonare, aut canere ſub pœna
„Excommunicationis latæ ſententiæ,
„quum nullo modo liceat Chriſti fa-
„mulis Belial inſervire; ideoque Miſ-
„ſionarii non ſolum eos monere tene-
„buntur de præfata prohibitione; ve-
„rum etiam illam omnino executioni
„demandare, & contrafacientes ab Ec-
„cleſia expellere, donec ex corde reſi-
„piſcant, & publicis pœnitentiæ ſignis
„patratum ſcandalum emendaverint.„
„Declaramus præterea Pontificiam
„Conſtitutionem Gregorii Papæ XV.
„incipientem: Romanæ Sedis Antiſtes
„&c. ad petitionem PP. Societatis Jeſu
„editam, qua indigenis Chriſti fidelibus
„lavacra, non alia occaſione, & fine,
„quam

„quam Corporis reficiendi, & a na-
„turalibus ſordibus mundandi, ab Apo-
„ſtolica Sede permittuntur, interdictis
„tempore, & modo, quibus a gentili-
„bus adhiberi ſolent, æque afficere
„Evangelicos Operarios, quibus pro-
„pterea non liceat, ſub quacunque alia
„cauſſa, & fine, non etiam ad effe-
„ctum, ut exiſtimentur Sanias, ſeu
„Brachmanes, præ cæteris dediti hu-
„jusmodi ablutionibus, illis uti, præ-
„ſertim ſtatutis eorum horis, & ante,
„vel immediate poſt quamcunque ſa-
„cram functionem. „

Sæc. XVII. A. C. 1705.

„Cineres itidem ex vaccæ ſtercore
„confectos, & impiam gentilium pœ-
„nitentiam a Rutren inſtitutam redo-
„lentes, benedicere, eosque fronti
„ſacro Chriſmate delinitæ impingere,
„ſive alia quæcunque ſigna albi, vel
„rubei coloris, quibus Indi ſuperſtitio-
„ſiſſimi in fronte, vel in pectore, aut
„in alia quavis Corporis parte utuntur,
„deferre prohibemus; mandantes, ut
„ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo, piique
„Ritus cineres benedicendi, illisque
„Chriſtianorum Caput Cruce ſignandi,
„ad humanæ infirmitatis memoriam re-
„colendam, religioſe ſerventur, tem-
„pore, ac modo ab Eccleſia præſcripto,
„ſcilicet Feria quarta Cinerum, & non
„alias.„

Sæc. XVII. A. C. 17(5

„Sive alia quæcunque ſigna albi vel „rubei coloris, quibus Indi ſuperſti„tioſiſſimi in fronte, vel in pectore, aut „in alia quavis corporis parte utuntur, „deferre prohibemus. Et demum, „quia ex librorum de falſa religione, & „de rebus obſcænis, ſuperſtitioſisque „tractantium lectura venenum, ut plu„rimum, ſerpere ſolet ad cor fidelium, „quo non minus fidei puritas offendi„tur, quam mores corrumpuntur, ma„gnopere commendantes Zelum, ac „ſtudium Miſſionariorum, qui libros „ſanam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, „rerumque ſacrarum monumenta conti„nentes pro Indorum Chriſti fidelium „conditione in linguam Malabaricam, „ſeu Tamulicam tranſtulere, vel novos „pro illorum commodo, & inſtitutione „compoſuerunt; iisdem Chriſti fideli„bus expreſſe interdicimus, fabuloſos „gentilium libros, eosque legere, & „retinere prohibemus, ſub pœna Ex„communicationis latæ ſententiæ, niſi „prius habita licentia Parochi, ſeu Miſ„ſionarii curam animarum exercentis, „quorum prudentiæ committimus facul„tatem ſuper hoc diſpenſandi, & libros „(ſi qui forte ſunt) noxia ſuperſtitio„ne vacuos, & nihil contra bonos mo„res tractantes pro Chriſtianorum uſu „ſeligendi, eorumque lecturam permit„tendi.

„tendi. Ea igitur univerſa, & ſingula auctoritate Apoſtolica, & tenore prædictis damnamus, ac diſtrictiori, quo „poſſumus, modo prohibemus, mandantes Patri Provinciali Provinciæ „Malabaricæ, cæteriſque Superioribus „Societatis Jeſu in Indiis Orientalibus, „ut hoc noſtrum Decretum notificent „ſingulis Miſſionariis, ſive aliis quibuscunque curam animarum exercentibus ſibi ſubjectis, illudque perpetuo, „& inviolabiliter exequi faciant ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ „quoad Provinciales & Superiores, & „ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ „quoad ſubditos contra facientes, ſeu „aliter permittentes; atque ita decernimus, & mandamus in omnibus, „donec aliud fuerit ab Apoſtolica Sede, „vel a Nobis ejusdem auctoritate proviſum, inviolabiliter ſervari, non obſtantibus quibuscunque.„

Sæc. XVII. A. C. 1705.

„Et ne ex his, quæ expreſſe præcepta vel prohibita a Nobis fuere, tacitum quis deducere valeat in reliquis practicari ſolitis in iſtis Miſſionibus noſtrum aſſenſum, ſeu approbationem (cum plura forſan reformatione digna noſtram cognitionem effugerint, & alia maturius examen po-

„ſtulan-

Sæc. XVII. A. C. 1705.

„ſtulantia indeciſa remanſerint) hanc „interpretationem omnino rejicimus, „& menti noſtræ eſſe contrariam declaramus. Volumus autem juſtis de „cauſſis, ut hoc noſtrum Decretum afficiat, & pro publicato habeatur poſt „illius traditionem a noſtro Cancellario „faciendam PatriGuidoni Tachard Vice-„Provinciali Patrum Gallorum Societatis Jeſu in Indiis, cui propterea in „virtute ſanctæ obedientiæ onus injungimus, quatuor ſimilia exemplaria „transmittendi ad Patrem Provincialem Provinciæ Malabaricæ, atque ad „Patres Superiores Miſſionum Madurenſis, & Mayſſur, & Carnatenſis, „quibus poſt bimeſtre, & reliquis Miſ-„ſionariis poſt trimeſtre a die conſignationis faciendæ dicto Patri Tachard, „idem Decretum pro publicato, & notificato pariter habeatur. Datum Pudicherii in Sancta Viſitatione Apoſtolica hac die vigeſima tertia Junii Anno 1704. & publicatum die octava Julii ejusdem anni 1704. per traditionem „factam coram Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino per me Cancellarium infraſcriptum R. P. Guidoni Tachard PP. Gallorum Soc. Jeſu in Indiis Orientalibus Superiori, præſentibus R. R. PP. Franciſco Lainez Supe-

„riore

„riore Miſſionis Madurenſis & Venantio „Bouchet Superiore Miſſionis Carna-„tenſis.„ Sæc. XVII. A. C. 1705.

*CAROLUS THOMAS,*
*Patriarcha Antiochenus, Viſitator Apoſtolicus.*

*ANDREAS Candela,*
*S. Viſitationis Apoſtolicæ Cancellarius.*

## §. LXXXVI.
## *Hujus decreti fata.*

Hoc decretum Turnonius die octava Julii Pondicherii promulgavit, illudque obſervandum Jeſuitis tradidit. Verum hi non modo hoc decretum ægre ferebant, ſed etiam illud aperte impugnabant, prout ipſemet Turnonius in ſua epiſtola ad Banchierium S. Officii Aſſeſſorem his verbis refert: *Jeſuitæ, qui hucusque de bona mea voluntate contenti videbantur, hodie palam contra meum decretum inſurgunt & poſtquam articulum juris impugnarunt, absdubio factum, etſi minime controverſum, directe etiam variabunt.* Præprimis vero ſanguinem & aquam ſudabant, ut Turnonium ad moderandas tam cenſuras, quam rituum prohibitionem conſtringerent; cum autem hic *ſalvo ſui Miniſterii & conſcientiæ debito*, ut ipſius verba ſonant, plene eorum

*die* 10. Jul. *An.* 1704.

Epiſt. die 9. Jul.